

The Marturi Case

Ed. Julius Ficker, *Forschungen zur Reichs-und Rechtsgeschichte Italiens* (Innsbruck 1874) 4.73 , also C. Manaresi, *I placiti del 'Regnum Italiae'* (Fonti per la storia d' Italia 97.iii.1; Rome 1960) n. 437. I thank Dr. Anders Winroth for obtaining the latter for me. The translation is based on Ficker's edition: S. In Christi nomine. Brevis recordazionis [pro futu]ris temporibus ad memoriam habendam vel retinendam, qualiter in presenzia Nordilli, missi domine Beatricis ductricis et marchionisse, et Iohannis vicecomitis...p.d....in iudicio cum eis residentibus Guillielmo iudice, et Peopone legis doctore, et Rodulfo filio bone memorie Segnori, et Rolando filio bone memorie Rustici, et Aldiberto filio bone memorie Baruncelli, et Stefano filio bone memore Petroni, Benzo filio bone memorie Benzi, et Segnoritto filio bone memorie Boniti, et reliquis pluribus, proclamavit Iohannes advocatus ecclesie et monasterio sancti Michaelis site in castello, qui vocatur Martuli, una cum prepositus Gerardo eiusdem ecclesie et monasterii, adversus Sigizonem de Florentia de quibusdam terris et de ecclesia sancti Andree, sitis in loco Papaiano, quer fuerunt Winizonis filius bone memorie Ugonis, et ostendi[t cartulam], per quam predicto Winizo res [istas Ugoni] marchioni concessit, et quandam aliam, qua continebatur, Ugonem marchionem easdem res prefato monasterio dedisse. Huic intenzioni prefatus Sigizo temporis prescriptionem obiecit dicens, inter se summque patrem predictas res per quadraginta annorum curricula esse possessas. Quam Sigizonis excepzionem pars suprascripti cenobii allata replicazione infirmavit affirmans, infra prefata tempora huius litis factam esse proclamationem. Et tribus idoneis hominibus productis, scilicet Iohanne predicte ecclesie advocato, et Stefano filio bone memorie Petroni, et Aldiberto filio bone memore Baruncelli, dixerunt, abatem Iohannem de predictus rebus marchioni Bonifazio, et Guidricum abatem duci Gotifredo et comitisse Beatrici proclamassem; et ita se iuratu[ro]s promiserunt. Et insuper predictus Iohannes advocatus tactis sacrosanctis evangelii iuravit [ut supra]; Stefano quoque et Aldiberto [suprascriptis] iurare volentibus, utra pars concessit, advocati sacramentum sufficere. His peractis supradictus Nordillus, predicte domine Beatricis missus, lege Digestorum libris inserta considerata, per quam copiam magistratus non habentibus restitutionem in integrum pretor pollicetur, restituit in integrum ecclesiam et monasterium sancti Michaelis de acione omniue iure, quod amiserat de terris et rebus illis, que fuerunt Winizonis de Papaiano, quas ipse Ugoni marchioni tribuit, et Ugo marchio in ecclesiam sancti Michaelis contulit. Actum est hoc anno ab incarnatione domini nostri Ihesu Chrsiti septuagesimo quinto post mille, mense marzio, indizione quarta decima. Feliciter. Factum est hoc intus burgum, qui vocatur Martuli, prope plebem sancte Marie, territorio Florrentino. Feliciter. S. Addo fidem dictis scribens ego Nordilus istis.